

4314 tabula marmorea (1,64 × 0,59), in complures partes fracta, litteris bonis (a. 0,07–0,035) inscripta. Rep. in sanctuario Mithriaco, quod aetate imperatoria uni ex turribus moenium Ostiensium adiunctum est, non longe a porta quae vocatur Romana septentrionem versus (Calza Ostia, guida p. 31. 159). Est ibidem.

sic DEVM·VETVSTA·RELIGIONE·
IN VELO·FORMATVM·ET·VMORE·OBVBI
LATVM·MARMOREVM·CVM·
sic TRONO·OMNIBVSQ·ORNAMENTIS·
5 A SOLO·OMNI·IMPENDIO·SVO·FECIT·
SEX·POMPEIVS·MAXIMVS·PATER
·Q· ·S· ·S· EST·
ET·PRAESEPIA·MARMORAVIT·P·LXVIII·IDEM·S·P·

Recognovi. Edidit et commentariis instruxit Calza *Not. d. sc.* 1924 p. 70 sqq.; nonnulla addidit Cumont ibidem p. 78 sq.

Sex. Pompeius Maximus sacerdos Solis invicti Mithrae, pater patrum, nobis iam notus est ex titulo Ostiensi tabulae aeneae inscripto supra n. 403 (cf. p. 482). Litterae singulares v. 7 significare mihi videntur id, quod solent, sc. *q(ui) s(upra) s(criptus) est*, intellege aliquo loco supra hanc inscriptionem, fortasse in simulacro dei (an in ipsa illa tabula aenea quam modo attuli?). Editor proponit *q(ui) s(acerdos) vel s(acratus) S(olis) est*, quae explicatio singularis esset. — Nomen dei tacetur; et quoniam thronus ad simulacrum Mithrae pertinens offendit, cogitavit Calza de Iove Caelo Mithriacorum (cf. Cumont *Textes et mon. fig. relatifs aux myst. de Mithras* I p. 94), fortasse recte. — Ad v. 2 sq. confert Cumont *Not. l. l. bela domini insicnia habentes* (sic) Mithrae dedicata C. VI 746 = Dessau *Inscr. Lat. sel.* 4202. Verba *in velo formatum et umore obnubilatum* ei videntur significare imaginem dei in velo pictam vetustate paulatim evanuisse; cuius in locum a Pompeio Maximo imaginem marmoream substitutam esse; probabiliter omnino. — 8 *praesepia* idem fere atque cancelli, ut videtur. — fin. *p(edes) LXVIII idem s(ua) p(ecunia)*.

4315 basis marmorea a. ca. 0,34, a parte superiore cavo quadriangulo statuae recipiendae aptata. Inscriptio videtur reposita esse in locum prioris erasae. Spatium scripturae destinatum a. 0,488, l. 0,16. Litterae malae, tardae aetatis, a. 0,048–0,043. Rep. *in uno dei vani dell' edificio di fronte al teatro*. Est in repositis musei Ostiensis.

MA·VICTORI·PATRI
·AVR·CRESCES·
AVG·LIB·
FRATRES·EX·
5 SPELEO DILAP
SO IN MELIO
RI RESTAVRA
VIT

Descripti ad ectypum, contuli ad lapidem. Vaglieri *Not. d. sc.* 1910 p. 486 n. 2.

Titulum ad cultum Mithriacum pertinere demonstratur vocabulo *speleo* v. 5. Potest fortasse etiam id moneri, quod haec basis ad lucem prodiit non longe a titulo Mithriaco n. 4309. — V. 4 scriptus est in parte arae superiore vix a principio inscriptioni recipiendae destinata. Haec pars a sinistra mutilata est; possunt perisse aut litterae duae aut una aut nulla. Dessau proponit [*na*] *ma Victori patri* (intellege patri Mithriacorum); *nama* vocabulum (de quo cf. Cumont *Myst. de Mithras* I p. 314) interdum occurrit cum casu dativo, ut videtur, coniunctum in titulis Mithriacis; cf. supra n. 3567 = Dessau *Inscr. Lat. sel.* 4237 *nama cunctis*; C. VI 719. 30 819 = Dessau 4238 et supra n. 3566 *nama sebesio*; C. VI 734 = Dessau 4239 *nama*. Editor legit *Ma(rti)*, parum probabiliter. — 4 *fratres* primum legenti videntur esse fratres Mithriaci. Quod si verum est, lapicidae scribendum fuit sic fere: *fratribus ex spelaeo dilapso auferendam curavit* (sc. *basim cum statua*) *et in meliorem statum restauravit* (vel *in meliore spelaeo restauravit*) vel *ex spelaeo dilapso in meliorem transtulit et ibi restauravit*; cf. elocutiones similes infra n. 4724 et Dessau *Inscr. Lat. sel.* III 2 p. 898b. Sed nescio an *fratres* intellegi possint Cautes et Cautopates, quamquam quod sciam nusquam alibi sic appellantur; haec basis enim simillima est iis, quae in spelaeis Mithriacis dadophoros qui vocantur sustinere solent. Quodsi probabiliter conieci, exstitit olim basis alia huius gemella; altera sustinebat statuam Cautis, altera Cautopatis; Aurelius Cresces autem *fratres restauravit* (de elocutione v. supra) et bases veteribus titulis deletis denuo inscripsit.

4316 basis parva marmorea, a. 0,20, l. 0,24, superne statuae recipiendae aptata. Litterae a. 0,02. Est sub templo magno in repositis.

HISPANVS
AVG·LIB·TABVL
NVMINI·
OB·PROCESSVS
5 VOTVM·REDD·

Recognovi. Calza *Not. d. sc.* 1923 p. 406.

Hispanus Aug(usti) lib(ertus) tabul(arius) numini ob processum votum redd(idit).

Votum redditum esse ab Hispano propter munus tabularii ei delatum conicit editor, probabiliter. — *Numen* v. 3 potest esse imperatoris. — 4 cf. e. g. *ob spem processum* Dessau *Inscr. Lat. sel.* 2074.

4317 [= Eph. IX 442] cippulus marmoreus, a. 0,447. Spatium scripturae destinatum a. 0,445, l. 0,10; litterae a. 0,045. Rep. *decumano, tra i pilastri del portico innanzi alle terme vel negli ambienti retrostanti*. Est propositus in museo Ostiensi.

L·HORT
ENSIVS
HERAC
LIDA·N·
5 FECIT

Contuli. Vaglieri *Not. d. sc.* 1909 p. 54 n. 1; inde Dessau l. c. 4 *n(umini)?*

4318 [= Eph. IX 436] tabula marmorea fracta, ut videtur, in duas partes (0,545 × 0,45[?] × 0,027). Rep. in sanctuario quod *Sabaeo* dicitur, v. supra ad n. 4296.

NVMINI·CaE·LESTI·
P·CLODIVS·FLAVIVS·
VENERANDVS·
VI·VIR·AVG
5 SOMNO·MONITVS·FECIT

Edid. et commentariis instruxit Vaglieri *Not. d. sc.* 1909 p. 22 n. 2; idem *Comptes rendus de l'Acad. des inscr.* 1909 p. 189; inde Dessau l. c. Cf. etiam L. R. Taylor *The cults of Ostia* (1912) p. 93. 2 sq. fortasse idem P. Clodius Verus Flavius Venerandus qui filio posuit titulum supra n. 4388. Cf. etiam supra n. 4309.

4319 [= Eph. IX 437] cippus marmoreus (1,19 × 0,35 × 0,34; spatium scripturae destinatum 0,72 × 0,245). Rep. *a venti metri dall' angolo sud della scena del teatro*, ubi tempore antiquo adhibitus erat in emissario reficiendo.

in latere sinistro.
praefericulum
(deletum)
NVMINI
DOMVS
AVGVSTI
VICTOR·ET
5 HEDISTVS
VERN·DISP
CVM
TRAIANO
AVG·LIB
10 A·X·M 'sic'

in latere dextro:
patra

Vaglieri *Not. d. sc.* 1907 p. 655; inde Dessau l. c.

6 *vern(ae) disp(ensatores)*. — 10 litteras singulares puto explicandas esse *a(nni) (decimi) m(agistr)o*, scilicet collegii cuiuspiam, cuius in schola lapis collocatus erat, ita ut nomen collegii dubium esse non posset; cf. infra ad n. 4569. Anni numerantur inde a collegio condito, nomen trahunt a magistris annuis vel ab aliis honoratis. Annus hoc modo indicatur aut in titulo ipso, ut hic et C. VI 556 = Dessau *Inscr. Lat. sel.* 4219 (--- *sub illo mag. anni primi*), aut in latere lapidis, ut in titulo quem edidi *Röm. Mitt.* 1925 p. 243, cf. 1926 p. 229: illis *cur(atoribus) ann(i) III*.